

tur, non per cultrum, sed per ignem, & quod oculorum acies, radius solis purissimis, igne scilicet elementari munita, explicare nequit, impurior quamvis, concentratus tamen & in pabulo suo sustentatus ignis arte chymica examinat. Constat itaque omne mixtum particulis indefinitæ figuræ, magnitudinis, motus, situs & superficie, harum verò harmonicâ simul compositione, texturâ & tempore, mentio; quodsi jam Viscidum etiam sit mixtum, nemine contradicente, tutissimè concludere licebit, id ipsum è particulis harum conflatum esse differentiarum; Qvæ qua ratione indigitari debant, Philosophia docet corpuscularis, Quaternionem suppedi- rando, dum terrestres aliæ, aliæ aquæ, salinæ denique aliæ & sulphureæ sunt, singulæ seorsim ad methodum examinandæ præscriptam.

§. 4.

De terrestrium itaque particularum præsentia cum mens dubia adhuc relinquatur, & ad unum omnes ferè ob exilitatem, quâ constitutæ sensum fugiant, nec in oculos incurvant, oculorum acie ignisque vi opus esse, quo dubium veritate eludatur, censeo. Corpora autem esse, & afficere corporis organa, determinatas quoque habere figuras magnitudinesqve, vel sola viscidæ textura, irregularis & inæqualis figuræ particulis quatenus conflata est, deteget, observante Renato des Cartes *Meteor.*c. i. §. 3. Quæ licet oculis non promptè conspiciantur liberis, munitis tamen felicius deteguntur. Analytica in primis si accedat methodus & destillationi subjiciatur viscidum, magnas bullas & ægerrimè particularum fieri separacionem notabimus, quod particulas terrestres irregulares admodum & inæquales habentes figuras in eo esse sufficienter indicat, qvæ ob implicatam & mutuam cohærentiam, licet moveri & separari igne videantur, contumaces tamen resistunt, imo protrusis igne aqueis & subtilioribus firmius junguntur mutuò necuntur & corpus maximè spissum ac solidum constituunt; hinc orum esse inter Chymicos autumo, experientia approbatum, verum axioma: *Viscida pulposa, glutinosa male distillatur.* Adhucne dubium, terrestres in viscido existere particulas, & quidem in copia? non obstat pelluciditas; annè enim vitrum ex terreis maximè constatum, sive arenam, sive cineres consideres, omnibus corporibus pelluciditate majus? ipsa quoque Therebinthina Cyprea ad ad-

A 3

spectrum